



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindelicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Origine hominis Opinio Etnicorum falsa. Caput secundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

fuit breuis illa & immatura filiorum alienatio a progenitoribus: quorum viuendi ritus & mores nondum adhuc satis imberant omnis diuersitatis, quæ sequuta est, causa. Chamus siquidem ob ludibrium, quo patrem habuit, cum vxore & liberis profugere coactus: in ea Arabia parte consedit: quæ ab eo postea nomen sortita est: posteris nullum sacrorum ritum tradidit: cum nullum a patre accepisset. vnde factum: vt quū procedente tempore alij post alios ex ea terra rursus velut in colonias missi: diuersa mundi loca tenuissent (creuit enim supramodum abdicata soboles) quidam in errores inciderint in extricabiles: lingua variata est: cognitio veri dei, & omnis cultus perijt. Adeo quæ quidam in culto & barbaro modo, vt audies, vitam duxere: vt quid differentia inter eos, & syluestria animalia exiterit vix videas. Qui in Ægyptum transire cœlestium luminum motum pulchritudinemque mirati solem & lunam: velut certum ipsis numen inesset: pro dijs colere cœperunt. Isidem hanc: illum Osyrin nominantes. vitali spiritui etiam sub Iouis appellatione: sub Vulcani igni: Ætheri sub Palladis: sub Cereris telluri alijsque sub alijs nominibus diuinos honores tribuere. Nec tenebræ illæ rerum tantum in Ægypto steterunt: sed quascunque a principio terras tenuerunt a Chamo precreati: veræ pietatis ignorantia simul & infanda seruitus cœpit. Cæterum nulla vnquam tellus plurimum fuit coloniarum mater: quæ Arabia pars illa: quæ is cum suis indit: tantam humano generi cladem intempestiuum vnus attulit exilium: Contra Semi & Iaphetis prognati: legitime a maioribus instituti: modicis finibus contenti: haud tam late: vt illi: sunt per omnes terras euagati: Quo accidit, vt veritatis studium, pietatis dico & veri dei cultus apud vnam duntaxat gentem ad Messia vsque tempora in occulto permanisset.

De Origine hominis Opinio Etnicorum
falsa. Caput secundum.

Veteres vero illi Philosophi, qui præter veri numinis cognitionem, ante multa sæcula naturam & historias tradiderunt, de hominis origine aliter senserunt. Quidam enim mundum ingenitum & incorruptibilem & genus humanum ab æterno existisse: neque habuisse ortus principium credidere. Quidam genitum corruptibilemque arbitrati. & homines dixerunt generationis initium tempore esse sortitos. Nam a rerum primordio & cœlum & terram vnicam habuisse ideam immixta eorum natura. Exinde distinctis inuicem corporibus cœpisse mundum/hunc ordinem, quem videmus. Aerem quidem motum hunc continuum sortitum: & igneam partem eius superiora loca, propter leuitatem, appensisse. Eadem causa solem astraque cætera cursus suos sortita. Quod vero humori mixtum eodem stetit in loco, propter grauitatem, quæ cum mixta essent, ex humidis quidem mare effectum. ex durioribus vero terram lutosam euasisse: & omnino mollem: Hæc primum quum solis ardore densior euasisset: eius postmodum superficiei vi caloris tumefacta multis in locis humores quosdam esse concreat: in

Vnde morum
& linguæ diuersitas orta

Chami immaturum exilium

Homines a brutis non differant

Sol & luna diuinos honores consecuti

Isis Luna Osyrin Sol

Aer Iupiter

Ignis vulcanus

Æther pallas

Terra Ceres

Arabia multarum coloniarum mater

Semi & Iaphetis prognati

Quare veri dei cultus apud tantam paucos permansit

Philosophorum de mundo duplex opinio

Leuia superiora, grauiora inferiora appetisse

De oim gentiū ritibus.

Animantiū naturalis creatio
Ægypti fecunditas

quibus putredines tenui contexta pellicula sunt excitatæ, quemadmodū in paludibus Ægyptijs & stagnis accidere videmus: quum frigidam terram subito æstus aeris calefacit: tum vero in humidis calore adhibito generatio fit: & noctu quidam circumfusus aer humorem præstet, qui in die, solis virtute consolidetur. tandem putredines illæ ad summum perductæ adueniente veluti partus tempore exustis contractisq; pelliculis omnis generis educunt animantium formas. quorum ea quæ maiorem calorem sortita sunt, in superiorem regionem volatilia effecta, abierunt. quæ vero plus terræ continebāt serpentina, aliq; terrestria euaserunt animantia, Naturam aquosam nata in sui generis elementum delata sunt & pisces appellata. Terra deinceps, tum solis ardore, tum ventis in dies magis arescente, a gignendis maioribus animalibus desijt. Sed quæ generata erant mutua commixtione alios animales procreantur. Eodem quoq; modo & homines a principio genitos dicunt, in agris pastum quærentes, syluestri & incognita vita vixisse. Quibus herbe & arborum fructus vltro victum præberent. Beluas insuper ijs fuisse infensas, quibus vt obsterent, cæcus hominum ob timorem factos aiunt communi utilitati gratia, auxiliq; inuicem præbita, & loca habitaculis quæsita, sonus oris confusus quum esset, paulatim discreuisse vocem aiunt, & res omnis suo nomine appellasse. Verum quum diuersis siti essent in orbis locis, non eisdem vsos verbis serunt: propterea & diuerlos literarum characteres extitisse. Primosq; hominum cæcus suæ quæque gentis initium fuisse. Verū primi homines nullo subsidio fulti, duram agebant vitam, quum ignorarent agrestes fructus in vsum futurum condere, & ad egestatem seruare: sicbat, vt hyeme plures aut fame, aut frigore interirent. Experimento deinde edoctos, & speluncas aiunt quæsisse, ad euitandam frigoris vim, & fructus seruare cepisse. Ignis ad hæc noticia, cæterarumq; vtilium rerum percepta: & cæteras quoq; vitæ hominum commoditates breui tempore esse adinuentas. deniq; necessitatem ipsam rerum magistram factam, singulorum peritiā ingenijs mortalium subministrasset: quibus coadiutores datæ sunt manus, sermo animiq; præstantia. Et illi, qui eam hominis originem fuisse persuasum habere: & non ad diuinam retulerunt prouidentiam. **Æthiopes** omnium mortalium primos fuisse dixerunt: hac coniectura vsi, q̄ **Æthiopicum** solum ante omnes terras syderis propinquitate in telescere cepisset, quum terra esset ab initio vliginosa: quo contigerit, vt ex prima illa humoris calorisq; temperie homo sit ipse genitus, atq; eam terram in qua nasci contigisset, libentius tenuerit, q̄ diuersam vllam, quum ignota adhuc essent omnia, quæsiuerit. Ibi ergo exordientes, vbi prius pauca de **Aphrica** vna trium partium, in quas totus terrarum orbis, & hic liber noster partitus est, præmiserimus. De **Æthiopia** situ & eius gentis moribus primum, tum singularum regionum, & gentium per ordinem, qua poterimus diligentia, referemus.

Volatilia
Reptilia
Maiora animalia fieri cessauerunt.

Primum hominum in cultura vita.
Victus
Primi homines a beluas infestati
Cæcus hominum facti.
Diuersitas linguarū vnde facta
Gentium diuersitas
Homines periculo prudentes facti.

Magistra rerum necessitas

Æthiopes omnium mortalium primi

Captatio benevolentia a dicendorum propositio.

De terræ situ & partitione. Caput tertium.

MAiores nostri: vt refert Orofius: totius terræ circum Oceanum limbo circumseptum triquetram statuerunt: eiusque tres partes Aphricam, Asiam, & Europam: Aphricam ab Asia difterminat Nilus: qui a meridie in Æthiopiam diffunditur: & Ægyptum perlabens: atque mirabili fecunditate irrigans oris non minus septem mari infunditur. Europam ab Aphrica diuidit mare mediterraneum: quod ab occidentali oceano circa Gades insulam, & columnas Herculeas, non amplius decemmillibus passuum patens, terras aperit atque intrat, ait Pomponius Mella. Asiam ab Europa Tanais fluius separat: a septentrione in mediam fere paludem Meotidem defluens cum Ponto reliquum Asiæ ab Europa diuidit. Aphrica ab orientis parte Nilus, a cæteris partibus mari terminata Europa breuior: vbi mare attingit latior: vnde in iuga exurgens, pergit in curua ad occasum: fastigiataque se molliter: & fit paulatim adductior: vbi finitur angustissima est. Quantū incolitur fertilitate præstat. Verum maxima pars inculta est: & vel ab harenis sterilibus obducta: vel ob situm cæli deserta: vel multo ac malefico animalium genere infesta. Mare quo a septentrione cingitur Libycum vocatur: a meridie Æthiopicum, ab occidente Atlanticum. A quatuor non amplius nationibus ab initio Aphricum solum incolebatur: quarum duæ (sic scribit Herodotus) indigenæ sunt: totidem non indigenæ. Indigenæ quidem Pœni atque Æthiopes: quorum alteri ad aquilonem Aphricæ, alteri ad austrum incolunt. Aduenæ vero Phœnices & Græci, vetustiores Æthiopes necnon & Ægyptij si vera sunt, quæ ipsi de se prædicant, asperi & inculti ab initio: ferinæ carnes herbæque, veluti pecoribus vulgo cibus fuit: neque moribus, neque lege, neque imperio vllō vsi: vagi temereque palantes: nullas certas sedes habuere: vbi nox oppresserat ibi corpora quieti dabant. Postea vero ab Hercule: qui & in eam terram colonias deportasse dicitur mitiores cultioresque facti: ex his nauibus quibus in Lybiam transfretauerunt tuguria fecerunt & conuenire cohabitareque ceperunt. Sed de his plura postea dicemus. Inæqualiter terra Aphrica colitur: ad meridiem plurimum ob nimios æstus deserta: contra qua Europam spectat frequentior illi cultus. Eximia & propemodum portentosa agrorum fertilitas: utpote qui locis quibusdam centesimo foenore reddant cultoribus messem. Mirum est, quod de Mauritaniæ vbertate dicitur: esse in ea vites, quas duorum hominum complexus capere non possit: vuarum racemos cubitales: Staphilini, Hippomaratri & carduorum scapos duodenum cubitorum: enormi crassitudine calami Indici similes: quorum nodi octo capiant modiolos: Asparagos ad hæc videri haud minus notabili magnitudine. Arborea circa Atlantem proceritate insigni enodi nitore folio cupressi: Sed omnium nobilissima Citrus Rhomanis delicijs inserta. Alit & Aphrica Elephantos & Dracones: qui ipsis beluis insidiantur: suorum complexu enecant Leones: bubalos, pardales, capreas, & limeas, quibusdam locis supra modum frequentes: Sunt & chamelopardales, Rhizes tauris similes. Herodotus & cornutos

Terra in partes tres diuiditur
Aphrica ab Asia diuiditur

Europa ab Aphrica diuiditur

Asia ab Europa diuiditur

Aphricæ situs qualitas & gentes

Aphricæ incommoda.

Quatuor Africæ latera
Aphrica a quatuor tantum modo gentibus inculta.
Indigenæ Africæ gentes.
Aduenæ Africæ gentes.
Primi Libycarum gentium mores.
Aphricæ ab Hercule cultiores facti.

Terre Aphricæ qualitas

Portentosa Africæ fertilitas
Mauritaniæ mira vbertas

Aphricæ mirabilia

Quæ animalia in Aphrica nascantur

Triquetra

Æthiopes

Phœnices
Græci

Palantes
Larantes

Staphilini
Hippomaratri
Asparagos

Citrus
Bubalos
Lecues
Pardales
Limeas
Cornutos